

POUVOIRS DU COMMISSAIRE APOSTOLIQUE

COPIE AUTHENTIQUE DU BREF DE S.S. LÉON XIII. 11 SEPT. 1883.

Dilecto Filio HENRICO SMEULDERS, Abbati, Ordinis Cisterciensis, Doctori Theologo.

LEO P.P. XIII.

Dilecte Fili Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Hoc vertente anno, quoad res subsidiariae Marianopolitanae Universitatis Lavallensis in civitate Quebecensi. ex mandato Nostro die XXVII Februarii editum est decretum, quo christifideles cujusque ordinis et dignitatis praecipiebantur, ut pridem institutam a Decessore Nostro sa. me Pio IX. subsidiariam Universitatem praedictam recognoscerent, probarent, ejusdemque Universitatis commodo et incremento quisque pro virili parte suppetias ferret adjutricesque praerberet manus, et hac super re quaestionibus ad eam spectantibus absolutum silentium indicebatur. Verum nonnullis inde difficultatibus exortis, Nos ex Apostolicae servitutis ministerio, quo in persona Beati Petri fungimur, in eam sententiam, de consilio etiam Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Christiano nomini propagando praepositorum, devenimus, ut probatissimum Virum Ecclesiasticum ad illam regionem destinemus, qui earundem difficultatum rationem praesens accurate cognoscat, easque dissolvat ac dirimat, remque omnem componat, eodemque tempore ei committamus, ut nonnulla alia pertractet negotia ecclesiastica ad eandem regionem spectantia.

Te igitur, dilecte fili, quem religionis studio, singulari pietate, doctrina, prudentia, atque in rebus gerendis dexteritate maximopere commendatum novimus, peculiari benevolentia complecti volentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis censuris ac poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurreris, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, ex suprema potestate nostra harum Litterarum vi, Commissarium Apostolicum in eadem regione, ad Nostrum et Apostolicae Sedis beneplacitum, facimus, instituimus ac deputamus. Praeterea te, dilecte Fili, praecedentiae honore decoramus, augemus, tibi que omnia et singula jura, facultates, cum privilegio etiam ubicumque Pontificalia exercendi, hujusmodi officio explendo necessarias et opportunas deferimus atque impertimus. Districte autem omnibus ac singulis personis sive ecclesiasticis sive laicis cujuscumque ordinis ac dignitatis mandamus, ut in virtute sanctae obedientiae, tibi dilecte fili, praedicto munere, Commissarii Apostolici fungenti eo quo par est obsequio pareant, faveant, atque in omnibus tibi praesto sint, auxiliique esse satagant. In contrarium facientibus, quamvis speciali et individua mentione ac derogatione dignis, non obstantibus quibuscumque. Datum Romae, apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XI Septembris, MDCCCLXXXIII, Pontificatus Nostri anno sexto.

Sign. erat

TH. CARD. MERTEL.

L. S.

Concordat cum originali,

G. F. DE BIE,

Secret.